



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum ac dubiorum indies occurrentium Resolutiones ... quàm brevissimè continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Forma Instrvmenti Electionis. Celebratae Per Scrutinium, quae habita est Canonica, quia octodecim requisita in cap. Quis propter de Elect. sunt ad amussim observata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

## REQUISITASUBSTANTIALIA

Electionis per Formam Scrutiniorum desumpta ex cap. Quia propter de Elect. sunt decem & octo.

- 1 Ut electio fiat per Congregatos in unum, ita ut actus electionis non fiat singulariter sed Collegialiter & in communi.
- 2 Ut Scrutatores assumantur à Collegio.
- 3 Ut Scrutatores qui assumuntur sint tres, non plures, nec pauciores.
- 4 Ut idem Scrutatores sint de Collegio.
- 5 Ut vota singulorum exquirantur secretè.
- 6 Ut vota eligentium exquirantur sigillatim, seu singulariter.
- 7 Ut exquirantur vota omnium presentium.
- 8 Ut vota electorum in scriptis redigantur.
- 9 Ut vota postquam fuerint in scriptis redacta, in communi publicentur.
- 10 Ut publicatio huiusmodi fiat mox postquam vota fuerint in scriptis redacta, id est in eodem, nullo actu extraneo intermedio, & unco contextu.
- 11 Ut votis publicatis, fiat plena collatio, id est numeri ad numerum, meriti ad meritum, & Licet ad zelum.
- 12 Ut huiusmodi Collatio fiat in continentibus, postquam vota fuerint publicata.
- 13 Ut post habitam collationem sequatur communis electio.
- 14 Ut ipsa communis electio fiat illico post Collationem, id est nullo extraneo actu interiecto.
- 15 Ut electio fiat de illo, in quem major, & sanior pars Capituli consentit.
- 16 Ut electio sit verbalis.

17 Ut electio non fiat clandestine, sed solemniter publice tur, & publicatio fieri debet in Capitulo, & tutum est, ut etiam populo publicentur.

18 Ut predictorum omnium ordo servetur, ita ut actus supra enumerati, non fiant preposterè, nec simultaneè, sed successivè unus post alium.

De singulis autem actibus superscriptis Notarius, seu scriba electionis debet se rogare coram testibus, & publicum Instrumentum consicere.

P. FAGNANUS.

## FORMA INSTRUMENTI ELECTIONIS.

CELEBRATÆ PER SCRUTINIUM, quæ habita est Canonica, quia octodecim requisita in cap. Quis propter de Elect. sunt ad amissim observata.

In Nomine Domini Amen.

**O**Mnibus & singulis, præsens hoc Instrumentum visuris, aut intellecturis salutem in Domino. Iisdem pateat, fiatque manifestum Anno Domini . . . Die vero . . . Mensis . . . hora . . . In loco celebrandis Comitibus afflueto, coram me N. N. Notario &c. & coram NNNNNN testibus ad hæc specialiter vocatis, & rogatis præsentibus comparuisse A. B. C. D. &c. omnes Capitulares, & Capitulum representantes post Missam de Spiritu sancto ad Majus Altare Ecclesiæ præfatæ solemniter

Ec 3

ab

ab N. celebratam, sacramque Synaxin ad finem dictæ Missæ ab omnibus DD. Canonicis perceptam; qui quidem omnes sacro peracto nullâ interpositâ morâ dicti Capituli locum ingressi, hinc & inde suo quisque ordine resederunt. Tū iussus sum ego cum prænominatis etiam testibus ad præparatam exedram sedere, omnemque rei gerendæ seriem attentè & sedulò prospicere, servatumque in omnibus ordinem præstito prius iuramento scriptis fideliter exarare. Atque imprimis N. N. gravissimum super rei peragenda momento sermonem habuit. Electores omnes, ut Deum solum, bonumque commune in Episcopi Electione mox futura præ oculis haberent ferriò cohortatus. Post hæc idem N. Electorum omnium nomina & cognomina è schedula, quam manu gerebat altâ voce recensuit, singulis ad proprii nominis auditionem assurgentibus. Quo peracto mihi Notario prædicto, ac testibus N. N. præcepit, ut ad ostium dicti Capituli & valvas Ecclesiæ, & clara voce omnes quotquot vellent, possent, ac tenerentur mox futuræ Episcopi Electioni interesse, maximè vero absentes interpellarem, quod cōtinuò præstitum est. Nobis vero ad pristinum locum reversis N. N. ejusmodi Electionis indicationem ritè peractam esse, omnesq; ad quos pervenire potuit, pervenisse pronuntiavit. Ad hæc N. N. an omnes in veros & legitimos Electores agnoscerentur percunctatus est, cunctisque annuentibus Hymnus *Veni Creator* inchoatus, post cujus recitationem Collectæ aliquæ à N. N. superadditæ. Quibus per-

actis à D. Cantore altâ voce, à cæteris submissâ, flexisque genibus *Confiteor* &c. prolatum, absolutioq; omnibus Electoribus ad effectum hujus electionis imperita. His ita gestis loco assidens N. N. iuramentum manu ad Codicem Evangelij ad motâ coram Deo emisit, Electoresq; omnes ad idè genibus, complicatis manibus item sacrum Evangelium attingentes admisit, ac propositis tribus eligendi modis videlicet quasi inspirationis, compromissi & scrutinii, & interposito cæteris duobus, scrutino, tres scrutatores nominandos esse admonuit, ad quod nomen omnibus suffragiis voce tenus collectis assumpti sunt tres de Collegio videlicet N. N. N. ad quæ exedrâ præstito iuramento confederunt, tū verò sacro calice cum patina ad dictam exedram coram dictis scrutatoribus perlato, eoq; ab ipsdem, meque ac testibus perspecto, vacuoque invento surrexit. D. D. Scrutatorum primus remanentibus cæteris ad alteram mensam, solus accedens, votumque suum legente nemine in schedula scriptum ipsam complicatam in calicem detulit, secundo scrutatore patinam ad immissionem elevante, Scrutatore tertio, meque Notario, & testibus rem inspicientibus. Cumque cecidisset, idem primus Scrutator ad prædictâ illam alterâ Mensam se contulit, secundus scrutator scriptumq; ut supra suffragium complicata schedula, elevante patenam primo scrutatore, calici tradidit, quod & à tertio simili prorsus ratione, nobis, aliisque scrutatoribus spectantibus actum est. Tū demum singuli Electores schedulam voto suo notatam, & complicatam in

cun-

eundem calicem detulerunt, è loco illo nimirum Capitulo ad alium contiguum recedentes, donec exhausto Electorum numero schedulas omnes è Calice singulatim eductas super patena scrutatores computarunt, eumque ipfas Electorum numerum adæquare comperissent evoluras, & perlectas primi scrutatoris manu, duobus alijs spectantibus, & strenuè attendentibus scriptis exararunt, mel pariter, ac testibus perspicentibus, & audientibus. Ita tamen & Electorum nomina r. & latenus proderent. Quibus ad ultimum conscriptis Electores omnes ad pristina in dicto Capitulo loca redierunt. Quibus primus Scrutator, placet, inquit, confratres Charissimi, ut vota jam vestra publicentur, ut inde appareat, quis majorem suffragiorum partem tulerit? Ijsque placere sibi, ac velle respondentibus, absque ullâ omnino cunctatione inibi vota, in commune protulit clarâque ac intelligibili voce D. N. N. quadraginta voces fuisse sortitum D. N. N. viginti novem D. N. N. unicam &c. Quæ omnes vocum numerum conjunctim perficiunt, eosque vocum numeros cum eo scripto quod dictus scrutator manu gestabat à schedulis exceptum convenire, Ego Notarius, ac testes distinctè, propriisque oculis perspeximus, tum nullâ interjectâ morâ eorundem votorum collatione factâ numeri ad numerum, & meriti ad meritum, ac zeli ad zelum evidenter dictum, D. N. N. cæteros omnes præcellere, in eumque majorem, & saniozem capituli partem consentire inventum est, statimque Elector primus ad hoc ab omnibus Electoribus designa-

tus, clarâ, & intelligibili voce per verba numeri singularis totius Capituli nomine, acceptâ prius ab eo facultate sic pronuntiavit. Ego N. N. meo, omniumque mihi consentientium nominibus in Episcopum N. N. in quem major, & sanior Capituli pars concidit, eligo. Tum idem Scrutator, eodem nomine rogavit Capitulum, ut ipsum Electum declararet, promulgarique eandem electionem juberet, cui quidè annuens N. N. ad hoc deputatus. Ego ait, declaro verum & legitimum Episcopum electum N. N. N. N. jubeoque ut electio ejusmodi solemniter publicetur. Quo dicto primus scrutator coram cæteris schedulas omnes votis Electorum signatas igni tradidit, ac in cineres redegit. Post modum dicti Capituli præcepto Ego Notarius cum testibus prædictam electionem de dicto N. N. ita completam ad ostium dicti Capituli, valvasque Ecclesiæ alta, terque repetita voce promulgavi, sumque reversus cum cæteris ad pristinum Capituli locum, ubi omnibus ad hoc, uti ante præsentibus N. N. à Capitulo deputatus dicto Electo N. N. factam de se ejusmodi electionem totius Capituli nomine præsentavit, ipsiusque consensum requisivit, atque D. N. N. electus hoc quidem onus ipse ea quæ talem virum decuit modestiâ, exhibitoque ob tanti ponderis dignitatem non mediocri timore, & tremore suscepit. Mihi que ab ipso Capitulo imperatum, ut præsentis hujusmodi Electionis ad fidem his quorum intererit faciendam exemplar, vel exemplaria conficerem, traderemque. Quod volens libensque promisi ac præstiti, Primariamque

*Libensque*

que

que hanc schedulam D. Decano ante ipsius è Capitulo discessum, pariterque cunctis Electoribus subscribentibus obtuli, idque statim effecere omnes die, Mense & Anno prænotatis. Ac tandem idem NN. qui supra pro his rebus ita pacificè, ac feliciter gestis referri Deo gratias æquum existimans Divinæ laudis Canticum TE DEUM LAUDAMUS, prosequendo, & ad Ecclesiam Ecclesiastico ritu procedendo univèrso Electorum cœtu inchoavit. &c.

## EXTENSIO.

**E**Xtensio de casu ad casum regulariter non est facienda in pœnalibus, *capit. odia, de reg. jur. libro 6. l. cum quidam, ff. de lib. & posthum. Navar. capitul. 27. num. 51.* tamen fallit primò, quando favore animæ, *Batt. & Iason. in arth. sacram. pub. C. si adversus vendit. num. 72.* Ioan. And. *in ca. 1. de homic. lib. 6.* Covar. *de spon. 2. p. capit. 6. numer. 12.* Secundò, fallit favore Ecclesiæ, *gloss. in c. sciant cuncti, de elect. lib. 6. in ver. alias, Gom. de expect. numero 10.* Covar. *lib. 1. capit. 11. numer. 5. vers. ex quibus, var. reso.* Tertio, fallit in correctoriis, ad evitandas legum correctiones, *gl. in l. illud, C. de sacros. Eccl. cum similibus allegatis per Alex. in l. si constanter, ff. sol. mat. & ibi Iason. in col. 14. num. 78.* Gom. *in cap. 1. num. 33, de rescrip. lib. 6.* eo vel maxime, quando agitur de salute animarum & evitando peccato, quia tunc dispositio correctoria, & odiosa de tali materia loquens, extenditur ex ratione identitatis, *Io. Andreas in c. ex tenore qui fil. sint legit. Capyc. decisio. 154. numero 22. & 23. & exemplificat in c. 1. de homic. lib. 6.* ubi vult includi man-

datarium, quamvis ibi de eo nulla sit mentio, sed vide *superius in ver. assassinus, Novel. ne iure pratim. §. secundum, numer. 95. gl. in Clem. 1. in ver. eleganter, de election.* Quarto fallit, quando lex aliqui redderetur frustratoria, *cap. si civitas, desentent. excom. Nav. loc. cit. gloss. in c. si alienigena, de usur. li. 9. gloss. ibi, in ver. alienigena.* Quintò fallit, quando largo vocabulo sumpto potest materia comprehendi, *in l. filium habeo, ff. ad Maced. cum alus allegatis per Iaf. in l. si. ff. de in jus voc. Alex. in l. Centurio, col. 11. ff. de vulg. & pup. Sextò fallit, favore Reipublicæ, *And. Sicul. in cons. 48. col. 1. in 2. vol. Boss. iii. de pœn. nu. 12. Butt. in l. quemadmodum, C. de agricol. & censu. lib. 11. Gom. in q. 19. de non toll. iure quasi.* Septimò fallit, quando non invenitur ratio diversitatis, vel dispositio est facta pariformiter, *gl. in cap. 1. in verb. Italia, de temp. ord. lib. 6. & gl. in ver. eligatur, in Clem. 1. de elect. Iaf. in l. si. cit. Gom. in q. 18. de ann. possess. & in quæst. 3. de subrog. collig. & potest fieri extensio ad casum similem, quando unica tantum ratio assignari potest, gloss. in l. quamvis, C. de fideicom. Octavò, in correctoriis potest fieri extensio ratione peccati evitandi, ut dictum est, secundum *Alex. in l. Pomponius. §. praterea, col. 2. in fine. ff. de acquir. possess. exemplum in constitutione sancimus de iure pratim.* quia quamvis sit correctoria, & loquatur in contractu venditionis, debet etiam extendi ad donationem habitam ab emptore causa vitandi fraudem, quæ inducit peccatum mortale, vide *Mar. disput. 9. de iure congrui, n. 14. & 32.* Nonò fallit in identitate rationis,**